Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35053
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

repulisset. Sed cum dominus ad praedicandum
discipulos mittit, quid a-
liud in mundo facit nisi grana se-
minis spargit. Et pauca grana
mittit in semine, ut multarum
messium fruges recipiat ex nostra
fide. Neque etenim in universum
mundum tanta fidelium messis ex-
cresceret, si de manu domini super
rationalem terram illa electa
grana praedicantium non exissent.
Sequitur. Qui crediderit et bapti-
zatus fuerit salvus erit. Qui vero
non crediderit condempnabitur. For-
tasse unusquisque apud semet-
ipsum dicat: Ego iam credidi, sal-
vus ero. Verum dicit, si fidem
operibus tenet. Vera etenim fides
est, que in hoc quod verbis dicit
moribus non contradicit. Hinc
est enim quod de quibusdam falsis
fidelibus Paulus dicit: Qui con-
fitentur se nosse deum, factis autem
negant. Hinc Johannes ait:
Qui dicit se nosse deum et man-
data eius non custodit, men-
dax est. Quod cum ita sit, fi-
dei nostre veritatem in vite nostre
consideratione debemus agnoscere.
Tunc enim veraciter fideles
sumus, si quod verbis promittimus opi-
bus implemus. In die quippe
baptismatis omnibus nos antiqui
hostis operibus atque omnibus pom-
pis abrenunciare promisimus.
Itaque unusquisque vestrum ad con-
sideracionem suam mentis oculos
reducat, et si servat post bap-
tismum quod ante baptismum spo-
pondit, certus iam quia fidelis
est gaudeat. Sed ecce quod promi-
sit minime servavit, ad explenda
prava opera, ad concupiscendas
mundi pompas dilapsus est. Vi-
deamus si iam scit plangere quod
erravit. Apud misericordem namque
iudicem non ille fallax habebitur
qui ad veritatem redit, etiam
postquam mentitur. Quia omnipo-
tens deus dum libenter penitentiam nostram
suscipit, ipse suo iudicio hoc quod
erravimus abscondit. Signa autem
eos qui in me crediderint haec
sequentur. In nomine meo de-
monia eicient, linguis loquentur
novis, serpentes tollent. Et si
mortiferum quid biberint non
eos nocebit. Super egros manus
imponent et bene habebunt. Num-
quid nam, fratres mei, quia ista
signa non facitis, minime creditis?
Sed haec necessaria in ecclesie exor-
dio fuerunt. Ut enim ad fidem
cresceret, miraculis fuerat nu-
trienda. Quia et nos, cum ar-
busta plantamus, tamdiu eis
aquam fundimus quousque ea in
terra convaluisse videamus; at
si semel radicem fixerint, ir-
rigatio cessabit. Hinc est etenim
quod Paulus dicit: Lingue in signo signo
sunt non fidelibus sed infidelibus.
Et habemus de his signis atque
virtutibus que adhuc subtilius con-
siderare debeamus. Sancta quippe
ecclesia cottidie spiritualiter facit quod
tunc per apostolos corporaliter facie-
bat. Nam sacerdotes eius cum
per exorcismi graciam manum
credentibus imponunt et habita-
re malignos spiritus in eorum men-
te contradicunt, quid aliud faciunt